

SCRIPTA

Numéro Scripta : 184

Auteur(s) : Robert [particulier]

Bénéficiaire(s) : Le Mont-Saint-Michel, Le Mont Saint-Michel (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : [1097-1125]

Action juridique : donation

Langue du texte : latin

Analyse

Un certain Robert fait don à l'abbaye du Mont-Saint-Michel des églises de Saint-Victeur et de Saint-Berthevin, placées l'une et l'autre dans la châtellenie de Mayenne. Ce don approuvé par Hugues de Mayenne et par l'évêque Hildebert

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Bertrand de Broussillon Arthur, *Cartulaire de Saint-Michel de l'Abbayette, prieuré de l'abbaye du Mont-Saint-Michel (997-1421)*, Paris, Picard, 1894, n° 8, p. 18-20.

Dissertation critique

Datation proposée par A. Bertrand de Broussillon.

Texte établi d'après a

In nomine sancte et individue Trinitatis que vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire. Ego Rotbertus, inspirante superna clementia, saluti anime mee consulens, offero Deo sanctoque archangelo Michaeli et sibi famulantibus, de mea hereditate, duas ecclesias sitas in territorio Medavi castri, videlicet ecclesiam Sancti Victurii et Sancti Bertvini, cum omnibus rebus quas juri ecclesie certum est pertinere, quas monachi sancti Archangeli quondam, consensu Gaufredi Medavi castri ducis, a possessoribus, qui tunc eas sibi vendicarant, acceperunt. Ego vero ipsis decedentibus, favente Hugone supradicti Gaufridi fratre, easdem sancto Michaeli et sibi famulantibus restitui.

Preterea ex meo hereditario jure famulantibus eidem archangelo contrado duarum carrucarum terram suo dominio perpetuo possidendam, sine ulla abhinc mea dominatione.

Ex omnibus vero rebus que mihi insuper sunt, scilicet terris, silvis, aquis et ceteris quecunque in talibus possidentur, quidquid acquisitum fuerit, vel, ut aptius dicam, quicquid exinde lucri exierit, medietatem michi et aliam sancto Michaeli concedo.

Excipio tantummodo meorum militum servitium, quod mihi soli retineo ; hoc etiam insuper addens : quod si aliquis ex eisdem militibus, ex sua terra, aliquid tradere ipsis monachis, pro remedio anime sue, voluerit, sine ulla mea contradictione, efficere poterit. Quin etiam hoc adjungo quia nulli meo homini, exceptis militibus, ullam vim faciam preter commune consilium eorumdem monachorum.

Hec autem si quis, instigante Diabolo, evellere conatus fuerit, eterni ignis flammas sustineat.

Et ut omnia supradicta inconclusa permaneant manu sua Hugo, dux Medavi castri, firmare non renuit.

Devotis fidelium beneficiis assensum non denegare et divini muneris est et consuetudinis servorum Dei ; unde et ego Hildebertus, sancte Cenomannensis ecclesie indignus episcopus, prefati Rotberti beneficio assensum prestiti, salvoque nostre matris ecclesie jure, prefatam corroboravi largitionem.

Ne quis igitur prescriptam donationem vel imminuere vel adnullare presumat omnimodis prohibemus, eos anathematis jaculo confodientes quicunque in irritum, quod absit, prefatum deducere temptaverit beneficium.

Ne quis autem dubitet prefatam a nobis prodisse confirmationem, manu propria subscrispsimus nostroque signavimus sigillo.

Signum Hugonis ducis +.

Et ego mei subterfirmavi. S. Rotberti datoris hujus doni +.

Testibus his idoneis adhibitis qui subter inscripti sunt : S. Burcadi filii Rotberti +. S. Guarini fratri ejus +. S. Rotberti filii Pavonis +. S. Fulcuini +. S. Stabil +. S. Guillelmi filii Gaufredi +. S. Radulfi +. S. Laurentii +. S. Gauterii +. S. Rainaldi clerici +. S. Fulcuini.